

historiis fides habenda, Jenæ non sæviit, nec fuit. Mansisset hæc Salfeldiensium urbs, Chori Apollinei domicilium perpetuum, ob urbis amplitudinem regionisque amœnitatem, & quod aër etiam salubris esset; sed, cum quidam Studioforum, in petulantiam inciderent, & male nominata verba in metallicos conjicerent, quorum tum temporis copiosior numerus Salfeldiæ erat, ut ferè DCCC numerarentur, metallici rapiiebantur in furorem, ita, ut omnem occasionem, vindicandi injuriam, quærent: quibus factum est, ut Studiosi æque ac metallici, noctu gregatim per plateas armati incederent. Studiosi instructi gladiis erant, metallici contra securibus & malleis metallicis. Quoties Studioforum numerus metallicos offendebat, gladiis & securibus ita se cædebant, ut semper vulnerati aut mortui in plateas procumberent. Cum itaque duos acerrimos hostes, in una eademque urbe, sine cæde & tumultu cohabitare, impossibile esset, Academiam in priorem urbem, Jenam puta, transferendi ratio cadebat in deliberationem: quæ translatio facta est anno sequenti 1579. die 9. Martii.

§. 10.